



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Aliqua certa notantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

distinctam ab intellectu suo: sed hæc distinctio non est realis: ergo rationis. Maior probatur, ea quæ separantur in ea ratione, quæ separantur, distinguuntur: sed in mente diuina separantur intellectus & voluntas diuina: ergo distinguuntur in mente diuina: Maior clara est, minor probatur, Deus cognoscit Verbum diuinum procedere per intellectum, & non per voluntatem: ergo in cognitione diuina voluntas non est produciens Verbum, & est produciens intellectus in cognitione diuina: ergo in cognitione diuina separantur quoad filij productionem: ergo distinguuntur in mente diuina.

7. Secunda sententia est eorum, qui asserunt Deum facere ens quoddam rationis, quod non est propriè tale, sed potius est verum & à parte rei, vocatur tamen ens rationis, quia est minima, & imperfecta entitatis; hanc sententiam defendunt Fonseca 4. Met. cap. 2. questione 10. sect. 3. cap. 4. & alij.

Probatur primò, negationes & priuationes sunt entia rationis: sed huiusmodi entia efficit Deus: ergo Deus efficit entia rationis. Maior clara est & sumitur ex Aristotele 4. Met. cap. 2. textu 2. & lib. 9. cap. 7. textu 14. Minor probatur, quia Deus cognoscit directè huiusmodi entia: sed cognitio directæ est effectio: ergo Deus efficit; quod autem Deus cognoscit directè probatur, quia Deus videns oculum, & visum, iudicat visum non esse in oculo cæci, vt aduersarij fauentur: ergo iudicat carentiam visus esse in oculo: sed huiusmodi iudicium non potest dari, quin detur directæ cognitio negationis, seu priuationis: ergo.

8. Secundò, quia si propter aliquam rationem Deus non faceret entia rationis, maximè quia sunt entia ficta, & concepta tanquam entia, ea, quæ non sunt talia, quæ concepto propter suam imperfectionem, non potest conuenire intellectui diuino: sed hoc est falsum, quia entia rationis logica sunt sine fictione & sine falsa cognitione, secundum D. Thom. Duran. Herueum, caterosque Theologos, qui admittentes secundas Logicorum intentiones, dicunt esse entia, quædam vera, & positiua, debilissima tamen entitatis, & quæ solum conueniant rebus ratione existentia obiectiua, quod clarissimè iam relatus Angelicus Doctor, opusc. 48. tract. 2. cap. 1. vbi ait, non esse entia realia, sed intentiones; vnde non negat entitatem, seu realitatem: ergo non repugnat per intellectum, &c.

9. Tertiò, quia ens rationis participat rationes entis vt sic communes enti reali, & rationis: sed ens vt sic quatenus commune est entibus realibus non est ens fictum, sed verum: ergo ens rationis participat veram rationem entis: maior clara est ex Aristotele dicente ens diuidi in reale, & rationis: sed hæc diuisio non est merè æquiuoca: ergo analogà; atqui si non esset verum ens de quo loquimur non esset diuisio analogà, sed solum nominis, & æquiuoca: ergo.

Quartò, Deus cognoscit denominatione extrinseca creaturam, in esse dilectæ, & amata, quatenus amat, & diligit illam, amatum enim esse, & dilectum denominatio extrinseca est, sed denominatio extrinseca, vt minimæ entitatis est ens rationis: ergo Deus facit, & constituit ens rationis.

SECTIO II.

Aliqua certa notantur.

Ad tituli quæstionis intelligentiam aduertendum est contra Fonseca. Gil. & alios ex Thomistis hanc quæstionem solum loqui de entibus, quæ propria entia rationis sunt, quæque ficta, & non vera, seu apparentia vocantur, minimeque à parte rei reperiuntur, nec habent esse ante omnem fictionem intellectus; nam si ea vocemus entia rationis, quæ verè reperiuntur à parte rei, & positiua, vel negatiua sunt, debilissima tamen entitatis, & quæ habent proprium esse ante omnem fictionem, & operationem intellectus, potius est elusio vocabulorum, quam recta entis rationis assignatio; ea enim entia realia appellanda sunt absolute, & minimè entia rationis, alias species intentionales vocarentur entia rationis, quia debilissima entitatis sunt, & vocantur ab omnibus Philosophis. Item, modi omnes, vt actiones præsentia, figura, &c. quæ debilissima entitatis sunt, & hæc de causa distinctio, quæ ad modos consequitur minima omnium distinctionum dicitur, ideoque ab aliquibus solet dici, modum identificari realiter cum re cuius est modus, & nihilominus licet debilissima, & minima entitatis sint hæc, vera entia realia sunt, & nominantur verè, quia ante omnem fictionem intellectu reperiuntur, veramque habent nullo configente intellectu entitatem, quapropter talia debent iure optimo nuncupari, vt de facto nuncupari asserimus; imo licet non habeant entitatem positivam, vt sunt cæcitas, mors, vacuum &c. cum tamen sine fictione dentur à parte rei, ante omnem operationem intellectus non sunt dicenda entia rationis: sed entia realia negatiua, vel clarius, & rectius carentia reales, vt supra latè demonstratum manet, & ratio vniuersalis horum omnium euidentis est, nam modi habent positivam rationem essendi à parte rei: ergo ab hac potius entia realia, quam à nostra fictione entia rationis nominanda sunt, cum habeant essendi modum perfectiorem à parte rei, à quo possint denominari talia, & idem dicendum est de omnibus, quæ à parte rei verè sunt, licet minimæ, & debilissima entitatis sint, & carentia similiter, vt priuationes, & negationes minimæ entia rationis nuncupari debent, propter rationes efficaces, supra positas, de eis enim omnibus, siue falso vocentur, vel verè non vocentur entia rationis, non loquitur quæstio præsens, si secundum rigorem metaph. & non secundum abusum Fonseca loquamur; nec inquit titulus quæstionis, an Deus faciat huiusmodi entia, alias idem esset, ac si quæreretur, vtrum entia, quæ dantur à parte rei verè, licet debilissima, fiant à Deo, de quibus nulla dubitatio inter Theologos catholicos Philosophosque Christianos potest agitari, cum certum sit, omne quod est à parte rei dependere ab omnipotentia Dei per immediatum influxum, vt entia positiua, vel per mediatum, vt carentia; ex eo enim quod produciatur homo, quasi indirectè produciatur negatio equi, & ex eo quod substrahatur concursus ab oculo, conservante potentiam visum quasi relictat priuatio illius, cæcitas nimirum in oculis, itaque

Quæst. IX. Vtrum Deus faciat ens, &c. 55

itaque in præfenti dubitatione contrahitur
vtrum, sicut intellectus creatus facit, vel quasi
producit quædam entia positiua, & priuatiua,
quæ non sunt verè à parte rei: sed tantum, per
fictionem intellectus, ac proinde sunt entia ap-
parentia, & fictæ carentiæ, eodem modo Deus
faciat huiusmodi entia fictitia; itaque titulus
quæstionis non agit de entibus, quæ vera entia
sunt siue sint debilissima vel non debilissima en-
titatis.

11 Secundo aduertendum est, quod sicut dicitur
duplex vis naturalis, alia, quæ purè cognoscitiua
est, siue euidenter, siue opinatiue, quæ vel pro-
priè, vel impropriè speculatiua dicitur (cuius
iudicium iam determinatum est supra in proce-
dentialibus, videte ibi, nunc autem latiori modo lo-
quimur, vt claritati consulamus) quæ cognoscens ob-
iectum nihil producit in illo, alia practica, id est
cognoscitiua obiecti operando illud, & faciendo,
quod antea non existerat, nunc existat; sic si-
militer datur duplex cognitio orta ex his prin-
cipiis, alia purè cognoscitiua obiecti nihil ope-
rando in illo, sed potius supponendo illud, vt
iam factum, & productum, & respiciendo, vel
considerando illud, secundum id esse, quod in
se habet, ita vt si hoc esse sit fictum, cognos-
cens vt fictum, si sit reale cognoscendo vt tale,
iudicando de obiecto eo modo quo in se est, con-
templandoque vt ita loquar illud, vt totum iam
præsuppositum, secundum suum esse ante illam
cognitionem, per quam illud contemplatur in-
tellectus, alia datur cognitio practica, quæ pro-
ducit, vel operatur obiectum illud circa quod
verfatur.

Illustratur hoc exemplis, v. g. hæc cognitio,
Deus est simplicissima entitas infinita in omni
genere entis, & in omni genere, & gradu per-
fectionis simpliciter: item hæc chimera est ens
fictum sine fundamento, priuatio cognita, per
modum qualitatæ est ens rationis, quæ omnes
cognitiones purè speculatiuæ sunt, quia purè
contemplantur obiectum, nihil efficiendo in illo;
hæc autem cognitiones practice sunt, omnis syl-
logismus, in quo sic ordinantur maior, minor,
& consequentia, est rectus & secundum regulas
artis fabricatus, omnis homo est animal: sed Pe-
trus est homo: ergo Petrus est animal; item
cognitio, qua cognouimus Deum ad modum
lucis, & Angelum ad modum iuuenis alati, quæ
omnes cognitiones non sunt præcognitiones, non
sunt purè cognoscitiuæ: sed potius practice,
procedunt producendo obiectum, quod respi-
ciunt, cum autem ens rationis eo modo quo est,
sit obiectum intellectus eo modo quo est, potest
esse obiectum terminans cognitionem practiciam
vel speculatiuam, seu purè cognoscitiuam; nam
hic actus ens fictum, vel fabricatum ab homi-
ne fingente, cognoscenteque rem aliter, ac est,
est ens rationis fictum, & apparens; item hic
actus, chimera distinguitur ab iude, & colore
ceruleo in celo, & à relatione rationis, purè
speculatiui sunt; ille autem actus, quo cognosco
Angelum, vt corporeum in Deo non dari Trini-
tatem personarum, & cognitio qua vnitur ho-
mo cum leone, sunt cognitiones practice, quia
non supponunt vnionem iam factam: sed potius
illam de nouo fingit, inter hominem equum, &
leonem, cum minimè deur à parte rei talis vnio,
vnde cum ante istam cognitionem non præsup-
poneretur chimera: sed potius habet esse, per

illam cognitionem & post illam sequitur tale
esse, & idem est de cognitione dicti, qua co-
gnosco Angelum vt corporeum, & ideo
practice cognitiones entis dicuntur, quia autem
ante illam primam cognitionem iam præsuppo-
nitur ens rationis; imò de ipso, vt de iam ha-
bente esse assertit esse ens fictum, & non verum,
sed apparens, ac proinde vocatur speculatiua, &
vera, & perfecti, practica autem vero, falsa fi-
ctiua, & imperfecti.

Alius explicat clarioribus exemplis, v. g.
intellectus verfatur circa colorem ceruleum cœ-
li, & montium, & circa colores representatos
per vitrum triangulare & in collo columbæ; co-
gnosco, & iudicando tam hos, quam illos non
esse veros, sed fictos; visus etiam verfatur circa
illos, sed cum hoc discrimine quod visio est co-
gnitio practica, & productiua entis illius ficti
quia ante visionem non habent esse apparens ta-
les colores: sed potius accipiunt illud per visum
conspicientem lucem, quæ non est color, ac si
esset color, & sic de nouo habent esse per cog-
nitionem visiuam, cognitio autem intellectus ver-
fatur circa illos colores, non dando esse illorum;
quia iam habent à visu: sed purè speculatiuæ;
cognosco illos vt sunt, scilicet ficti, quæ tan-
tum abest vt sit practica, quin potius sit destru-
ctio falsitatis, & fictionis practice: à potentia
visiua detegendo apparentiam illorum colorum;
iudicandoque non esse à parte rei veros colores;
vnde vera, & perfecti cognitio est intellectus;
cognitio autem visus imperfecta, & falsa; nam
omnis conceptio (vt profundè notat eximius
Doctor P. Franciscus Suarez communis huius
seculi, toto plaudente orbe, magister sap-
ientissimus, his verbis) rei quæ aliter se ha-
bet ex parte obiecti, aut modi representandi
ex parte illius quam res cognita se habeat in se
est imperfecta, & non habet illam conditionem
ex vi obiecti, sed ex parte cognoscentis; dico au-
tem ex parte obiecti, &c. quia ex parte cognos-
centis, & actus seu entitatis eius fieri potest, vt
res aliter formetur in intelligente quam sit in se
ob maiorem perfectionem cognoscentis, sicut
enim cognosco materialia immaterialiter, &
Deus cognosco finita infinito modo, & compo-
sita simplicissime, & mutabilia immutabiliter, &
potentialia per purissimum actum, qua hæc
omnia solum dicunt perfectionem in illo esse
quo cognitio perficitur; at vero, quoad repræ-
sentationem obiecti, pertinet ad perfectionem
cognitionis, vt ita repræsentet illud sicut est, &
omnis cognitio, quæ recedit ab hac proprietate,
non potest id habere ex perfectione cognitio-
nis: sed ex aliqua imperfectione vel limitatione
adiuncta, quia perfectio cognitionis consistit in-
adequate ad rem cognitam, & consequenter in
representatione eius, sicut in se est, atque hinc
fit vt ex vi obiecti, intellectus, & terminatiui
nunquam sit necessarius alius modus cognitio-
nis; nam potius ipsum obiectum postulat co-
gnosci sicut est, itaque quotiescunque cog-
nitio repræsentat aliquid in obiecto quod non est
tale, vel demum ab illo, quod habet est imper-
fecta.

Tertio aduerto cum accuratissimo P. Vazquez, 12
qui his verbis, vt solet apprimè veritatis scopum
collumit, ex eo quod Deus cognoscat nostrum
intellectum discurre, non fieri, vt ipse etiam
discurrat, illa namque optime nouit discursum;
&

& modum quo nos discurremus, & ex vno in aliud in cognitione proficimus, & homo ipse dum ista cognoscit, non discurret, nec in sua cognitione ex vno in aliud procedit, eodem modo Deus cognoscit aliqua per nostrum intellectum distinguere, ideo tamen non sequitur ea etiam distinguere per intellectum diuinum aliquo modo, sicut ex eo quod sciat, & cognoscat nos intelligere per species materiales spiritualia, & conuersione ad phantasmata, & ita habere de rebus spiritualibus alienos conceptus, instar rerum corporearum, ipse tamen in suo intellectu non potest ita intelligere, & similes de rebus conceptiones formare, nam talis conceptus obiectivus in nostro intellectu pendet ex formali quem habemus, quo solo representari potest illo modo, cumque Deo talis conceptus formalis non conueniat non potest habere nostrum obiectivum, ita praesentem, vt nobis praesens est, cum illis imperfectionibus, veluti conceptus auditus non habet eo modo quo nos, quia non habet visionem, seu auditionem, &c.

Deinde obserua, vt aliqua per intellectum distinguantur, opus esse obiectiones, tanquam distinctas, & vt talia, sua cognitione representari, cognoscendo obiectum, quod non habet talem distinctionem, ac si haberet illam; Nec satis esse vt cognoscat illa posse distinguere per alium intellectum, alio modo intelligentem; veluti vt aliquis intelligat rem, per discursum & relate ad aliam opus est, vnum ex alia in sua ipsius cognitione colligere: ergo cum Deus non cognoscat eo modo imperfecto, non potest attributa distinguere quin optimè sciat ea, per nostrum intellectum suo modo imperfecto, cognoscen-tem distinguere, quia ita nouit nostrum imperfectum modum cognoscendi, vt tam n eo modo ipse non intelligat quare videat Deus attributa sua à nobis distinguere, & intueatur nostrum conceptum formalem, tamen nunquam ei attributa in sua cognitione obiciuntur, sicut scit nostro intellectu representari, scit igitur Deus ea posse à nobis nostro imperfecto modo distinguere, sed hoc scit simplicissimo modo; ex quo nulla in obiecto distinctio provenit: vt enim ea ipse distingueret, deberent in suo intellectu representari, sicut in nostra.

SECTIO III.

Nostra sententia proponitur.

¹⁴ Prima conclusio: Deus non facit propriè ens rationis, de quo in primo notabili egimus. Hæc est communis inter Doctores, & probatur.

Primò autoritate D. Pauli ad Hebræos 4. vbi sic ait: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius, per aperta Græcè est τετραπλησυνος, τ-τραπλη, σινος, quod vt erudite aduertunt Salmeron, & Cornelius à Lapide, τετραπλησινος, idest à collo deducitur, ac primo verti potest cum Theophylacto iugulata, aut decollata, & cum Chrysostomo excoriata, vt sit metaphora ab omnibus iugulatis, & excoriatis petita, quod sicut oves pelle sua excoriata à collo ad caudam vsque nude sunt, & omnia eorum extima, & in-

tima reuelantur, sic diuinæ scientiæ omnia sunt nuda, & aperta; Gagneus autem Ἰσχυρίη inquit, est à collo ad caudam medium secare, siue per medium dorsum findere, ita vt intestina animalis filci denudentur, & pateant intuenti, sic Deo omnia patent videnti, perinde ac si diffusa essent. Tertio est Erasmus Ruera, & Escapula in legico, Romanus in hunc locum, & Audatius in tractatu critico τραχηλίζω, inquit est in col- lum, siue cervice reclinare, & resupino hominem, aut animal, ita vt facies resupinata omnibus appareat, & conspicua proponatur, quo sensu Perius poeta ait, aulam resupinat amici, resupinat, idest aperit patentem, & conspicuam facit, vt eam quique perfructetur, sic Deus omnia quasi resupinata in facie nude, & clarè intuetur, oculos Dei simul vniuersa cernentis inquit August. *serm. 2. de tempore*, non abdit locorum, non patietur septa secludunt, nec solum ei acta, & cogitata, verum & agenda, & cogitanda sunt nota; ista vera scientia summi iudicis, cui pervium est omne solidum, & apertum omne secretum, cui obscura clarent, Gentiles id ipsum agnouerunt, ita Milesius septem sapientum Græciæ sapientissimus, dicebat homines sibi persuadere debere deos omnia clarè cernere, deorumque omnia esse plena, seipsumque contemplari; dilucide Homerus quid sit Deus ita definit, ἥλιος οὐρανὸν ἴσθαι πάντῃ καὶ ἔσθαι, est sol, qui omnia videt, & omnia audit. Nimirum, vt ait sapiens, in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos, & vt ait Eberardus; bonos contemplantur, tum comprehensivè clarè, & vt in se est; primo seipsum, qui summe bonus est, cognoscit reuelata facie, & creaturas, quæ bonitate participata ab eo bonæ sunt; hinc Ægyptij pingebant Deum, quasi oculum vaculo innitentem, vt significarent Dei omni- scientiam, omnia contemplantem, & clarè perspicentem, ita Olyrin Deum suum pingebant, quasi Septem habens in se oculum incisulatum, ait Macrobius *lib. 1. cap. 210*. septem significat dominium, & potestatem regiam, oculus omni- scientiam; vnde Græcè διὰ τὸ τὴν διάνοιαν, id est ac clarissimè videndo sine fictione nominant, ideoque Cleanthes asserit Deus omnia videt claris oculis, vbi non decipitur, sed omnia inquit Casiodorus, sine veste deceptionis contem- platur nuda, & aperta.

Ex quibus omnibus sic arguuntur: Deus Paulum nude, sine aliqua deceptione, & sine veste fictionis cooperta apertè & clarè, non solum seipsum: sed omnia creata contemplantur, vt in se sunt: ergo Deus omnia ex se primo sine ente rationis aliquo fabricato cognoscit. Hæc consequentia clara est, quia res vt in se sunt non habent ens rationis, quia vt in se sunt, existunt à parte rei secundum statum realitatis, sed à parte rei non possunt habere res aliquod ens rationis, quia ens rationis est ens fictum & apparens, ac proinde non est à parte rei: ergo si Deus videt omnia, vt in se sunt, & in se nullum habent ens rationis, videbit sine dubio sine ente rationis ali- quo; item, quia si cum ente rationis videret Deus à se primo fabricato in rebus non videret nuda, & aperta omnia, vt ait Paulus; sed potius videret illa vestita, quasi vestibus entis rationis, nam quod est absolutum non videret, vt nudum ab- solutum: sed vt circumdatum, vestitum & affec- tum relationibus, & priuationem non videret.